

tabilis simul habens omnia perfecerat. Hoc & dominus Iesus in euangelio ostendit, dicendo: Considerate lilia agri quomodo crescunt. De hoc etiam quinto de ciuitate Dei asserit Augustinus: Deus nec exiguis, & contemptibilis animantis vi scera, nec herbe hofculum, nec arboris folium sine suarum congruentia parum, & quadam veluti pace reliquit.

[Consequente: compendiose tangit Magister, qualiter ex diuersis, que in creaturis consistunt, multiplex creatoris proprietates, atque perfectio innotescent. [Ex perpetuitate namque creaturarum intelligitur conditor aternus.] Nam ante omne creatum oportet ponere principium increatum, & primum quod esse habeat a seipso, id est non ab alio. Propter quod Rabbi Moyses protestatur Deum creasse mundum ex tempore, quia ex hoc facillime elucet, Deum ab aeterno fuisse, omniaque profuixisse ab ipso, in cuius rei memoriam diem septimum celebrari precepit. Sed contra hec obieci potest, quia non sequitur, Effectus est perpetuus, ergo causa eius aeterna est, cum sint quidam effectus suis causis coeterni, ergo ex perpetuitate creaturæ non sequitur aternitas creatoris. Respondetur, quod quamuis in alijs non sequatur, tamen in proposito sequitur propter causam preactam. [Et magnitudine creaturarum omnipotens] id est, ex consideratione, tam spiritalis, quam corporalis magnitudinis creaturarum concluditur Deum creatorem esse omnipotentem, cum creare sit infinita potentia. In alijs tamen non sequitur, Fecit magna, ergo est omnipotens. [Ex ordine, & dispositione] creaturarum ostenditur Deus esse sapiens, eum ordinare se sapientis. Unde fertur in Psalmo: Omnia in sapientia fecisti. Sed obijci potest, quoniam ordo videtur esse habitudo rerum ad vltimum finem, in qua bonitas Dei representatur. Respondent Bonauentura, & Richardus, quod duplex est entium ordo. Vnus est ordo rerum in vniuerso, seu inter se, qui appropriatur sapientie. Alter est ordo rerum in vltimum finem, qui bonitati appropriatur. Albertus vero plenius loquitur: Quidam inquit, est ordo partium in toto continuo, qui est ordinata postio partium, & est ordo vniuersi in modo sicut mobile vniiforme ordinatur sub primo motore, & mobile difforme sub mobili, primo. Motus quoque materię primæ ingenerabilis, & incorruptibilis sub motu circulariter, atque difformiter mobilis, & ordinantur hæc omnia ad complendum, numerum electorum, & hic ordo est sapientie. Est & alius ordo vniuersusque in perfectionem finis sui, ex participatione bonitatum sibi possibilium a prima causa. & hic ordo est bonitatis. Dispositio autem differt ab ordine, quoniam dispositio est per formas rei in seipso, ordo autem, ad alterum. Hæc Albertus. [Ex gubernatione bonus] Gubernare namque est rem in finem suum dirigere, bonum autem, & finis conincidunt, sicque ex gubernationis suæ effectu innotescit bonitas Dei. Nihilominus gubernatio, opus est sapientis, & ita ex ordinata, & stabili rerum gubernatione patet sapientia creatoris, iuxta illud Boethij:

O qui perpetua mundum ratione gubernas.

¶ Quæritur de efficacia, & differentia præinductorum quatuor argumentorum.

¶ Ad hoc Bonauentura respondet: Omnes hæ rationes ad hoc, quod aliquid probent, & inferant, præsupponunt aliquid tertium. Prima namque supponit, quod creare non sit nisi infinitæ potentie: quo concessio, constat, quod soli conueniat Deo. Aliæ tres præsupponunt in omni genere cau-

se esse statum, nec iri in infinitum, quod & in tota philolopia supponitur. Ideo omne mutabile, mobile, imperfectum, & causatum, reductur ad vnum primum inuariabile, immobile, perfectum, & incausatum. Sic igitur prima ratio sumitur penes rationem causæ, aliæ tres penes rationem causæ, & excellentiæ causantis super suum effectum. Et distinguuntur iuxta ordinem eminentiæ in triplici genere causæ, videlicet efficientis, seu mouentis, ac finientis, & exemplaris. Hæc Bonauentura.

¶ Amplius, circa id quod ait Magister, [Ecce tot modis cognosci potuit veritas Dei, sciendum quod non solum his vijs, ac modis potuit Deus naturali ratione cognosci. Unde albertus: Magister non tangit hic omnes vias quibus possibile est deuenire in Dei cognitionem, sed qualdam ad infinitum, quod tales, ac similes, querere debeamus. Dionysius autem 7. capitulo de diuinis nominibus tangit, qualiter per ablationem omnium a Deo, & per affirmationem, & causalitatem, ac eminentiam, ascendum sit ad Dei noticiam.

¶ Circa hoc scribit Thomas, reducendo vias a Magistro inductas, ad eas quas Dionysius docet: Harum, inquit, rationum diuersitas sumitur secundum vias deueniendi ex creaturis Deum, quas Dionysius ponit, dicens, quod ex creaturis tribus modis in Deum deueniamus, puta per causalitatem, remotionem, & excellentiam. Et ratio huius est, quoniam esse creaturæ est ab alio: sicque ducimur in cognitionem causæ ipsius, quod potest esse dupliciter: Primum, quantum ad hoc quod receptum est, sicque ducimur per modum causalitatis. Secundo, quo ad modum recipiendi, quia imperfecte recipitur, & sic habemus duos modos, videlicet remotionis per ablationem imperfectiōnis a Deo, & viam eminentiæ, per hoc, quod omnia sunt perfectius nobilitiusque in Deo. Hæc Thomas.

¶ Et quod quod dictum est [ex rerum mutabilitate venire ad immutabilis Dei noticiam] consonat: quod enim de ciuitate Dei loquitur Augustinus: Mundus ordinatissima sua mutabilitate, & mobilitate, atque visibilium omnium pulcherrima specie, tacitus factum se esse ostendit: & non nisi ab ineffabiliter, ac inuisibiliter magno, & pulchro, se fieri potuisse proclamat.

¶ Sequitur secunda pars huius distinctionis, in qua ex verbis Augustini ostendit Magister, qualiter in creaturis relictet vestigium superdignissimæ trinitatis. Et quæ de hoc habentur in textu, in questionibus elucescent. Litera quippe, quo ad superficiem verborum, non videtur difficilis, sed latet in ea grandis, & multiplex difficultas, quæ in decisione declarabitur questionum. Tertia vero pars distinctionis istius incipit ibi, [Nunc verò ad eam perueniamus disputationem.] Vbi ostendit, qualiter superbenedicta trinitas alicui modo in rationali creatura relictet per modum imaginis. Patebitque litera in questionibus.

Q V A E S T I O I.

Circa hæc distinctionem quæritur primo, An Deus ex creaturis per naturalem rationem potest cognosci. ¶ Videtur, quod non, quoniam creatura in infinitum distat ab excellentia creatoris, ergo creatorem non representat. ¶ Secundo, quoniam finiti, & infiniti nulla extat proportio, ergo nec similitudo, sed creatura finita est, Deus vero infinitus: ergo,

Matth 6 Augustin. cap. 2.

Rab. Mo.

Obiectio.

Dilutio.

Psal. 101. Obiectio.

Respõsõ. Bonauen. Richard.

Albertus.

Differt dispositio ab ordine.

Boethius metro 1. lib 5.

Bonauen.

Albertus.

Dionysius natyry.

Thomas.

Creatura tribus modis ducit in Deum noticiam.

Argumentum contra 1. & 2.